



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

**RELATIO III. De mense Ianuario. Anni 1626.**

**1626**



# RELATIO III.

De mense Ianuario. Anni 1626.

**R**OMA a. d. 3. Jan. discessit L E O POLDUS Archidux, Florentiam profecturus, cum à Pontifice multis reliquiis & religionibus donatus esset: quem abeuntem deduxerunt multi patres purpurati. Vicerex NEAPOLITANUS iussit conducì 4000. milites pro Genuensibus. REX HISPANIÆ in omnibus suis regnis magnas parat copias: Ipseque cum fratre, duce Carolo, bellicæ rei gerendæ præcrit: expediturus 3000 milites, qui in Italiam tendant. RIVA quoq; evocata præsidia eodem se conferent: quib. aliquot Germanorum & Itatorum agmina succenturiabuntur.

Thurinum a. denuò 4000 Galli venerunt. aliiq; 8000 Suiceri & Galli per Helvetiam profecti in Pedemontanam regionem iyerunt. Hi & multi alii Galli & Allobroges in agro Moseramo confederunt. VENETI suas copias auxerunt accessione 500 Albonensium. PAPA quoq; Veldlinum satagit in suam potestatem rodigere: Genuensibus NEapolitanæ tres actuaviæ 3000 viros advexerunt: ex quib. 200 in itinere defecerunt.

Dominus Curtius, nomine novelli regis Hungariæ, ad portam Ortomannicam ibit: fortè ut ostendat sui regis studium in pace colenda, quam Cæsar pater cum Turca ante hæc fecit.

Clofelius significavit Cæsari suum mirificum desiderium semel adhuc invisendi tuam Episcopam Vienensem, qua divo Matthia Cæsare excidit: sacerri-

B

ma

### RELATIO III.

ma addita promissione, se totum futurum iu ornandis & amplificandis Austriacis: nihilq; eorum apud Papam prætermitturum. Cæsar in Bohemiam ibit, proceribus suum Filium commendaturus. VIENNÆ Camera Austriaca & Aulica conjungetur. Et quia Imperator intellexit, Regem Daniæ hinc inde copias conscribere: interdictis id impedire; & cōtra Mansfeldium, si ex inferiore Saxonia, ubi nunc heret, in Silesiā moverit; q̄ eum facturum aiunt, obices accertere firmos cōstituit.

IN SEMIGALLIA, Livoniæ provincia, Serenissim⁹ & Potentissimus SUECIÆ REX insignē à Polono victoriam 7. Jan. iterum reportavit. Nam campiductores Polonicarum copiarum Leo Sapiëha & Radevilius, Lithvani, cūm percepissent, Regiam Sueciæ Majestatem in eo esse totam, ut arcem Birsenam confirmaret; confestim diviso exercitu, alter in prædio Walhoffio castra sua probè vallata posuit, alter ad Bauschenburgum consedit, hac fine, ut Regis propositum eluderent, conatusq̄e ipsius interverterent. Sed Leo Sapiëha supremus exercituum Polonicorum Dux, paulò post in Poloniam abiturus, filio suo, Marschalco Lithvano, partes suas commendavit. Hostium ergò consiliis intellectis Rex, postquam ex diversis partib⁹, & dominatibus Livoniæ tantum rerum ad victum facientium coëgerat, quantum ad Birsenum castrum, commeatu instruendum sufficeret: Barsoniò; ubi tūm commorabatur; Kokenhusium sese cum copiis, quas secum habebat, contulit: cumq̄e ibi ex quibusdam captivis vires, statum & conditionem hostium didicisset, in rem futuram duxit, si Sapiëham antè occupare, quàm

quàm cum eo Radevilius copias conjungeret. Itaq; relictis Kokenhusij omnib<sup>9</sup> impedimentis, a d. 5. Jan. Duinâ fluvio, circa vesperam, cū aliquot turmis & mille sclopetariis Mosquetegerulis superato, nocte, quæ inter 6. & 7. Jan. intercedit, in hostē properato cursu contendit ita, ut Suetici exercitus primores, cum Polonis, nihil tale metuentibus, supervenissent, quos cōsequerentur, partim contererent, partim trucidarent, cæteros in fugam agerēt. Quod cū Sapieha Marscalc<sup>9</sup> cognovisset, prædiò, quod diximus, Walhoffio & castris ibi firmiter positis, relictis, in campum proximum suos impetrito animo eduxit, aciem adornaturus. Sed potentissimus & invictissimus Sueciæ Rex hæc cernens, ratus, sibi ab hoste diem ad pugnandum constitutum, & ipse ex fruticeto, post quod constiterat, suos in apricum statuit. Cumque, omnibus rebus diligentissimè examinatis, deprehendisset, suos paratos, seque satis instructum: hostilem autem militem maximam partem indispositum adhuc palare: concitavit Finlandos cataphraçtos in hostem: qui & maximo cum impetu in adversa signa proruerunt. Ac principio quidem certaminis fortissimè pugnaverunt Hussari; sed tandem, Deo fortunante, cum fugere coacti fuissent, penes Regiam Sueciæ Majestatem victoria stetit. Fugientes insecuti Finlandi equites, quoscunque contingerent, conciderunt. Hostis omnia sua impedimenta cum vexillis & tribus campestribus tormentis post se reliquit: quæ omnia in potestatem Regis venerunt. Ex Sueticis militibus ne quidem unus hactenus desideratus est. Ex hostibus in ipsa prima acie sexcenti inter-

fecti: multi, Hussari, plurimam partem pedites: ut taceam quos sylvæ vicinæ absumserunt. Capti centum quinquaginta, inter quos Gensofskij frater primus est. Qui postea ex hostibus sunt in potestatem Serenissimi redacti, affirmant, illum confictum Sapichæ mille quingentos viros abstulisse. Radevilius verò, qui jam in procinctu stabat, ut Sapichæ succurreret, auditâ hac clade, mutatâ voluntate, omnibusque cohortibus, quæ circa Bauschenburgem erant, convocatis, cum omnibus copiis, quâ proxima via, rectâ in Lithvaniam contendit, tantâ cum festinatione, ut Hussaris fugientibus lanceæ de manibus exciderent.

Serenissimus autem Sueciæ Rex commeatum in artem Bierseham sine ulla contradictione intulit, omniaque ex voto peregit. Pro quo summo Dei beneficio, paulò post iussu S. R. Mtis. per totum regnum Sueciæ, & per Livoniam, solennes Deo gratias, maximâ cum hominum devotione, publicè actæ sunt.

PRAGÆ 7. Jan. Capperiana coram veteris oppidi senatu, & homicidij in proprium maritum per Assassinos commissi, & adulterii, ab occisi propinquis rea facta, cum iussu esset intra triduum respondere, paruit quidem, sed per procuratorem omnia, quæ antea confessâ fuerat, revocavit; quod ei tamen parùm proderit ad abolendum crimen.

MARCHENS DORFFII, quæ arx est Bohemiæ, Dominus Wartenbergij, unâ cum conjugè, à suis subditis interfectus est: quorum latronum antesignani sex Pragam ducti sunt: & ex iisdem tredecim adhuc aliis in oppidis in vinculis tenentur: quos certò Nemesis sequetur.

E L E

ELECTOR SAXO firmum colligit militem, perque totum Electoratum suis, ut parati sint, imperavit. FRAGÆ delectus peditum habitus est, quibus diribitorium constitutum est non procul Lipsiæ: mittentur autem auxilio Fridlandensi, cujus copiarum morte militum vehementer diminutæ sunt. Ibidem serio prohibitum est, ne qua vidua, aut quis viduus ex Evangelicis, nisi papifare velit, contrahat matrimonium.

BETHLEHEM GABOR indicibili sumtu nuptias paravit; cujus rei signum est, quod solius Dockeyensis vini 3000. cupas coëmi curavit. Sponsam ipsi adducent Principes, qui & eam usque ad fines Silesiæ deducunt, excipiendam ibi à 4000. viris. Ipse autem Bethlehem, custodiæ sui corporis causâ evocavit 1500. liberos Heiduccos.

In partibus vicinis COLONIÆ Agroppinæ magna est omnium rerum caritas; quæ non nisi ex interdictis cum Batavis commerciis existit, & quòd nihil præ manibus aliud habent, unde aliquid lucrari aut comparare queant. Imò ipse exercitus valde conflictatur cum inopia: ex quo fit, ut nec viator tutus ambulet, & rusticis omnia necessaria eripiantur. Ex Hollandia nemo audet vel litterulam Coloniam deferre, nisi deprehensus velit suspendi, sed & COLONIÆ in Evangelicos & Calvinistas rigorosè inquiritur, nolunt enim eos ulterius ferre.

LINZII ut executio contra Lutheranos fiat, Caesar iterum serio mandavit: licet provinciæ ad Onasum fluvium status diu subsisterint Viennæ, spe averruncandi illius mali. Sed non profecturis littora-

bobus ararunt. Inquisitum est in libros, initio factum ab ijs, quos Provinciales curandis publicis rebus praefectos habent; quorum sex fuerunt. Keplero, Caesareo & ordinum Mathematico, occlusum est Museum appositum sigillo: civibus omnes confestim eripiuntur libri, Papismum non sapientes: magnaque multitudine incuriam inferuntur: Doctoribus autem Jurisconsultis & Medicis describuntur. colliguntur praeterea duo signa peditum, qui rei praesenti serviant: in quem finem Locum renens 1000. equos, & agmen peditum, Salisburgensis mille equos, & duo agmina peditum colligunt: taceo 300000. flor. qui Bayaro propediem sine ulla tergiversatione persolvendi erunt. Ita nulla calamitas est sola. Et quia mandatum persequendi Lutheranos nec vult, nec potest aboleri, fiet, ut optimatum plurimi ex illis locis migrent.

HAGA Comitum omnes novae Ligae Legati circa 19. Jan, re bene confecta, excepto Bethlehemico, discesserunt; ut multi judicent, atrocius bellum subsequaturum. D. Camerarius, Palatini Consiliarius intimus, ad Reges Sueciae & Daniae aliosque status profectus est.

Circa idem tempus INDIANA classis utraque ex Hollandia solvit, cum Anglica se conjunctura. Selandiae vice Ameralium feliciter cum aliquot navibus Dunckerchianis pugnavit, unamque sui juris fecit.

In Principatu ANHALTINO Fridlandici pontem Dessaviensem firmis propugnaculis, in formam dividuae Lunae exstructis, praesidiisque muniverunt. Exercitus FRIDLANDICUS cum Tillæis in locis Goslariae pro-

De MENSE JANUARIO 1626.

proximis cojerunt. In Episcopatu Magdæburgensi omnibus firmioribus locis maximæ excubiæ, cum indicibili subditorum onere, sunt impositæ.

Magdeburgæ opus urbem munitionibus sepiendi ardet: cui multæ pulchræ ædes cedere cogentur.

Negotiationes, a. ibidem admodum frigent, magisque frigebunt, si per Regem Daniæ libera potestas commeandi, mercesque & alia necessaria importandi mercatoribus adempta fuerit.

A. d. 14. Feb. Dux Brunsvicensis *Christianus* E. H. postquam suum equitatum (cujus paulò ante octodecim companias, uti vocant, in Guelphorum arcem deduxerat) triduum intra moenia illius arcis, tanquam constrictum, continuerat; h. 4. matutina, factâ eruptione in Croatios, omnia libidinose & violenter Sommerstadij & in vicinis pagis agentes, cædibusq; implentes, contendit, quos nactus jentaculo martialiter instructo excepit, ita benignè, ut vix 50. non tractati inde abirent: reliquis, qui fugâ salutem quæsierant, appositum est ab his, qui in aditibus custodiendis collocati erant, cum in eos incidissent, prandium ita præparatum, eos ut cœnæ facilimè caperet oblivio. Johannes autem de WAHLE, Magister equitum Brunsvicensis, ex præcipuis unus, ea quæ Croatij reliquerant, loca occupavit: hostis autem longiusculè retrocedere coactus est. Ex equitibus Ducis Br. unus tantum nobilis vulnus in pollice accepit. Captivos Croatios Princeps rusticis petentibus tradidit castigandos: atq; rustici confestim hos latrones, incitatis in ipsos mortuis bobus sic mulctarunt, ut in quietem se componerent longævam.

Brunsv.